

sibi, misericordia scilicet redemptionis in Jesu, veritas confessionis in senibus. In hoc occursum, justitia et pax osculatae sunt; dum justitia piorum senum, et pax reconcilians mundum invicem in osculo affectuum et gaudio Spiritus consociatae sunt, Recte ergo quod hac nocte cantavimus, ad laetitiam hujus diei pertinere credimus, salvo duntaxat alio profundiore intellectu: *Lætare, Jerusalem; et diem festum agite, omnes qui diligitis eam* (Id. LXVI, 10). Ac si diceretur: Lætata est Nazareth de annuntiatione, Bethlehem de nativitate: lætare et tu, Jerusalem, de purificatione, quoniam qui in Nazareth conceptus, et in Bethlehem natus est in Jerusalem est susceptus et praedicatus. *Et diem, inquit, festum agite, sive conventum facite, omnes qui diligitis eam*, scilicet Jerusalem, id est. Festiva devotione convenite in templum, ad suscipiendum Redemptorem, omnes qui expectatis redemptionem Israel.

7. Jam vero, fratres, si moraliter, sicut mos vester 950 est, aedificari vestra quaerit Sanctitas, quatuor illas illustres in hac processione consideret personas; quarum vita, non solum ecclesias illustrat, sed et caelos adornat: Jesum loquor et Mariam, Simeonem et Annam. Et, ut ab inferioribus ad superiora progrediatur sermo, in Anna, quae jejuniis et obsecrationibus serviebat nocte ac die, jejunium nobis commendatur et oratio: in Simeone, qui tanto Jesum amplectitur gaudio, pietas et devotio, in Maria, quae cum nihil deberet legi, in hac scilicet parte purificationis legem nihilominus implevit, humilitas et obedientia; in Domino autem Jesu, qui factus ex muliere, factus est etiam sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, charitas et misericordia. Nam castitatis sanctimonia, cujus laus, ut comperi, vestram semper puritatem delectat, in omnibus effulsit communiter, licet satis dissimiliter; cum in senibus fuerit labore continentiae; in puella, munere gratiae in puero, jure et proprietate naturae, non pueritiae recens natae, sed puritatis innatae. In ipso non solum hujus virtutis, sed etiam omnium origo et perfectio; ab ipso singularum distributio; per ipsum earum conservatio; apud ipsum remuneratio. Apud ipsum igitur ambiamus, tam virginis Mariae, quam Simeonis et Annae meritis suffragantibus, ut quod minus habemus virtutis largiatur, quod largitus fuerit tueatur; ut depositum ipsius, per tutelam ipsius integrum ei reconsignantes, remunerationem consequamur ipsius, qui vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.

SERMO III.

Quomodo Simeon imitandus.

1. Senex puerum portabat, senex plenus dierum, puerum antiquum dierum. Longitudine dierum adimpleverat Deus senem istum, ut ostenderet ei salutare suum in vultu nostro: sed adhuc aliorum longitudine dierum adimpletur erat, ut ostenderet

ei salutare suum in vultu suo. Plenus ergo dierum temporalium portabat antiquum dierum antiquorum, atque spei aeternae pignus fidelissimum tenebat in sinu repositum; quod videlicet dies suos super dies regis adjiceret; puer ille, juventutemque ejus renovaret ut aquilae. Quamquam senem quoque istum, sicut Abraham, cum dicitur plenus dierum, libentius accipiam plenum virtutum quam temporum: cum tempora statum nullum habeant, suoque accessu decedentia, hominem potius exhauriant quam adimpleant. Sed neque magnum est, imo magis malum est multis vixisset diebus, si non teneris virtutibus; cum puer centum annorum moriturus sit, et peccator centum annorum maledicendus (Isai. LXV, 20). Ideo, *Si annis multis vixerit homo, ut ait Salomon, et in omnibus lätatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis et dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur praeterita* (Eccl. xi, 8). Caeterum e contrario, *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata* (Sap. iv, 8, 9). Si hac utique senectute Simeon non consenuisset, nunquam coronam senum, sapientiam Dei Christum portare meruisset. Sic namque scriptum est: *Corona dignitatis senectus, quae in viis justitiae reperitur* (Prov. xvi, 31). Et quae est illa senectus, quae est in viis justitiae reperitur, quae reperienti in coronam aptatur, nisi sapientia Dei Christus? ipse namque merito justorum operum tribuit canos sensus sapientiae, quam postmodum formabit justis in coronam gloriae. Sanctus itaque senex Simeon, ut sanctius senesceret adhuc, senectutem sapientium, sive sapientiam senum factam puerum, in viis justitiae, cum scilicet in spiritu venit in templum, reperit, et comperit in veritate; quia senectus erat in lactente, sapientia in infante, virtus in infirmitate, Verbum in carne. O infantia, o senectus! quam bene vobis pariter convenit in hujus pueri sensibus et moribus; quo utique nihil innocentius, sed nihil sapientius, nihil jucundius, sed nihil maturius, nihil mitius, sed nihil justius!

951 2. Vobis, o filii hominum, vobis jam tunc ipso suo silentio loquebatur Dei Sermo, ut videlicet malitia sitis parvuli, sensibus autem perfecti. Alii siquidem ex vobis columba seducta non habens cor, simplicitatem non salientes prudentia, relinquuntur fatui; alii sapientes sunt ut faciant mala, bene autem facere nesciunt, et, prudentiam non dulcorantes bonitate, efficiuntur acerbi. Prorsus congruum et gratum utrisque temperamentum atque condimentum puer iste antiquus dierum, in pueritia praefrens ingenitam sibi innocentiam, et de antiquitate dierum referens primogenitam omnium sapientiam. Si quis se imperfectum sensibus, aut inconditum intelligit moribus, veniat in templum cum Simeone, et puerum quem mater affert Maria, accipiat in manibus, id est Verbum Dei quod mater offert Ecclesia, complectatur affectibus.

Ipsam utique repositum in sinu sensus aedificabit, mores dulcorabit, totum statum mentis et ordinem vitae grata et salubri suavitate temperabit. Non solum autem mater Ecclesia in audiendo, sed multo magis mater gratia in orando, puerum tibi dabit amplectendum, si modo frequens et devotus orator venias in templum, ut dicas quotidie Deo: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo* (Psal. v, 8). Quem enim Ecclesia praedicans offert auribus, gratia illuminans infert cordibus, eo utique praesentio rem et suaviorem, quo nudam veritatem puris tradidit sensibus. Veritatem quippe, quae est Christus, Maria vestitam carne, Ecclesia vestitam sermone, gratia nudam tradit amplectendam Spiritus infusione: quamquam hoc ipsum diverso modo fiat, pro captu scilicet suscipientis animae, sive pro arbitratu dispensantis misericordiae. Licet enim ipsam summam veritatis faciem non facile videamus, magnusque habeatur, cui vel per speculum et in aenigmate eam intueri datur: quiddam tamen ipsius, cum Spiritus nobis illabitur, veluti nudum sentimus, sensusque noster in amorem ipsius veluti ad nudum conficitur. Tunc prorsus ex sententia dicere possumus, et cantare laetabundi: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam, in medio templi tui* (Psal. LXXVII, 10). Beatus qui ut dignius et crebrius eam suscipiat, congruum ei locum in cordis penetralibus parat. Beata Sion illa, quae thalamum suum diligenter ac decenter adornat, ut cum digno ac placito Christum regem honore suscipiat.

3. O sancta Sion, anima speculans aeterna, considera quae sit illa majestas suscipienda; cogita qua cura ac diligentia te illi praeparare locum oporteat. Si quis dixerit: Et ad haec quis idoneus? quis esse potest magnificentiae et gloriae tanti Regis congruus ornatus? Frustra, inquit David, paupertatem quispiam causetur: *In pace factus est locus ejus* (Psal. LXXV, 3); et: *Justitia et iudicium praeparatio sedis ejus* (Psal. LXXXVIII, 15). Simeon utique quia hujusmodi pallis thalamum adornavit, ideo Christum cum multa suscipere gratia dignus fuit. Vis videre quia in pace invenerat locum Domino, quia sedem praeparaverat ei in justitia et iudicio? *Homo, inquit, erat in Jerusalem, cui nomen Simeon; et homo iste justus et timoratus* (Luc. II, 25). In pace erat domus Simeonis, qui habitabat in Jerusalem, id est, in visione et amore pacis; de qua scilicet Jerusalem audierat David promittentem: *Non commovebitur in aeternum qui habitat in Jerusalem* (Psal. CXXIV, 1, 2). Et, ut noveris quia pacis habitator et amator erat, pacemque imperturbabilem illius stabilis et aeternae Jerusalem praeparavit requirebat; cum pacem dei et hominum Jesum qui pacem super pacem dare veniebat, sinu recepit, haec prima vox de pectore senis jamdudum pacem meditantis erupit: *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum, in pace* (Luc. II, 29). Postquam viderunt oculi mei salutare tuum, qui est pax nostra faciens utraque unum, non solum

Judeum et Gentilem, sed etiam Deum et hominem, et in homine spiritum et carnem: jam hoc solum superest desiderium servi tui, ut *in pace in idipsum dormiam et requiescam* (Psal. IV, 9); et pax Dei quae exsuperat omnem sensum, me totum in illius summam et simplicis unitatis absorbeat consensum. Venit pax quam sustinui: requiescat in pace qui pacem quaesivit, et quae pacis sunt sectari semper studuit. Sic quippe Isaias ait: *Veniat pax, requiescat in cubili suo, quia ambulavit in directione sua* (Isai. LVII, 2). In pace utique Simeon straverat cubile suum, 952 qui omnibus aliis curis ejectis solum in corde meditabatur Jesum, ubi et reclinavit susceptum. In directione quoque sua ambulaverat, qui justus et timoratus erat, exspectans consolationem Israel, adventanti quotidie desiderium occurrebat.

4. In eo igitur quod justus dicitur et timoratus, justitiam et iudicium intellige, quo sedes Dei praeparatur. Et justitia quidem suo nomine demonstratur: iudicium vero timoris nomine, vel timor nomine iudicii ideo recte accipi posse putatur, quia scilicet timor non solum nascitur de futuri consideratione iudicii, sed etiam operatur nunc in nobis quamdam illius formam et executionem iudicii. Qui enim prohibemur iudicare ante tempus de proximis (I Cor. IV, 5), jubemur de nobis ut, dum nosmetipsos dijudicamus, a Domino non iudicemur (I Cor. XI, 31, 32). Porro timor iste sanctior est, cum justitiam sequitur, quam cum praecedat: quia qui praecedens ad justitiam initiat, sequens eadem consummat et conservat; dum scilicet de justitia praesumere non sinit, sed omnia opera sua hominem vereri facit, ut post iudicium sui adhuc de subtiliore iudicio suspectus sit, dicatque sibi: *Qui iudicat me Dominus est* (I Cor. IV, 4), qui cum accepit tempus, etiam justitias iudicabit. Qui sine timore isto est, non poterit justificari (Eccl. I, 28), ut Scriptura testatur; quia quantumcumque se justis exercitet operibus, alieni comedunt robur ejus, dum suam volens justitiam constituere, justitiae Dei non est subiectus.

5. Vigilanter itaque Evangelium perfectam commendans Simeonis justitiam, non ait: Timoratus et justus, ne timorem, qui est initium justitiae, intelligeremus: sed ait, *justus et timoratus*, ut timorem, qui justitiae per omnes gradus comes individuus ipsam promovet et tuetur, ipsius exemplo disceremus. Nam neque illud putaverim otiosum, quod non timentem dixit, sed timoratum: non novum, non horarium, aut perfunctorium volens intelligi timorem illum; sed qui utique versus esset in habitum, qui altius hominis imbibisset affectum, possideret sensum, modestia et gravitate sermonem ornaret et vultum, circumspeditione moderaretur actum, totum denique interioris et exterioris hominis componeret statum. Neque enim vavis animum consolationibus resolvebat, qui consolationem Israel exspectabat. Quod et ipsum ad suae cumulum adje-

cerat justitiæ, ut sollicitus non pro sua tantum, sed etiam pro populi consolatione, longa suspensus maneret expectatione.

6. Denique, ut manifestius audias quam pretioso ac vero nitore virtutum, non fucio colorum adornaverat thalamum suum illa Sion, id est Simeon, *Spiritus sanctus*, inquit, *erat in eo*. Quid huic ornati Sion illa terrena comparare poterat, in omni illa multifaria thalami, id est templi sui, ambitione et gloria? Si faciem templi coronis ornasset aureis, quid aurum nisi lutum etiam sine comparatione virtutis? Puto quia nec Salomon in omni gloria sua ornatus est sicut Simeon: cum ille sapientiam, qua florebat, in senectute perdiderit, iste suscepit. Te tamen, o infidelis Sion, thalamus tuus arguit, quod cum satis tibi Prædictum esset: *Ecce veniet ad templum suum Dominator quem vos queritis* (*Malach. III, 1*); adorna thalamum tuum, Sion, *induere vestimentis gloriæ tuæ, civitas Sancti* (*Isai. LII, 1*): tu tamen nihil prorsus ad quotidianum cultum templi in adventu ipsius addidisti, non vela, non coronas, non lucernas plures, aut victimas, non alios psalmos, aut cantica; omnino inhonoratum, insalutatum remittis, qui te salvare venerat. Ideo utique tuus iste thalamus, domus gloriæ tuæ deserta tibi relinquatur: imo non relinquatur lapis super lapidem, qui non destruat. Tibi enim, Domine, templum augustius, amplius et perfectius, scilicet Ecclesiam magnam a solis ortu usque ad occasum fides ædificabit gentium, et secundum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ; unde etiam hodie laudes audivimus, gloriam justis, voces scilicet laudantium et dicentium: *Suscipimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui* (*Psal. XLVII, 11, 10*), id est, in communionem sancti populi tui. O fratres, suscepistis misericordiam Dei et vos, imo abundantius vos: videte ne in vacuum suscepistis, ne gratiam ingratitude vacuetis. Gaudeat ergo **953** vestra devotio: quem Simeon hodie portavit in sinu suo, vos omni die glorificate et portate in corpore vestro Jesum Christum Dominum nostrum, cui honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO IV.

De quatuor purificationis nostræ generibus.

1. *Postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ* (*Luc. II, 21*). Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, ut significet quæ moraliter a nobis sunt gerenda. Cum enim hodie beatæ Purificatio Mariæ recensetur, manifeste de nostra ipsorum purificatione admonemur. Quem vero tanti non moveat auctoritas exempli, cum videamus scilicet, quia illa sanctarum sanctissima, quæ nihil purgandum habuit, purificationis tamen legalis implere mandatum non renuit? O mater immaculata, mater intacta, nonne tuæ tibi conscia es puritatis; quia scilicet integritatem tuam nec conceptus, nec partus violavit, sed sacravit? Quare ergo, tanquam muliebri aliquid in concipiendo vel pariendo sis

passa, sic mundationis quæ muliebri provisa est infirmitati, quæris remedia? *Sic, inquit, decet nos implere omnem justitiam* (*Matth. III, 15*), ut quæ summæ mater electa sum justitiæ, speculum quoque sim totius et exemplar justitiæ. Novi ego superbiam filiorum Evæ, quæ promptior est ad excusandum, quam ad expurgandum commissa. Necessarium arbitror, ut vitiiis originis antiquæ statim in initiis omnia novæ generationis occurrant exempla. Mater prævaricationis peccavit et excusavit procaciter: mater redemptionis non peccet, et satisfaciat humiliter; ut filii hominum qui de matre vetustatis traducunt necessitatem peccandi, de matre saltem novitatis trahant humilitatem purgandi.

2. O filii hominum, tempus purificationis advenit, quando Mater summæ puritatis, de cujus purificatione dies festus est nobis, pariter et fontem edidit, et exemplum dedit nobis quod debeamus purgari. Satius est, o fratres, et suavius fonte purgari quam igne. Prorsus qui fonte non fuerint modo purgati, igne habent purgari, si tamen purgari meruerint; quando scilicet Judex ipse, *quasi ignis constans, sedebit constans et emundans argentum, et purgabit filios Levi* (*Malach. III, 4, 5*). Nunc Christus aqua diluens; tunc ignis consumens. Modo fons patens in ablutionem peccatoris et menstruatæ; tunc flamma sæviens et ignis vorans usque ad medullas animæ. De ardore siquidem irati fontis ille purgatorius ignis exardescet in conspectu ejus, et inflammabit in circuitu inimicos ejus. *Ascendit, inquit, fumus in ira ejus, et ignis a facie ejus exarsit* (*Psal. XVII, 19*). Inde cadent super eos carbones poenalter purgatorii, quibus modo non adhibentur carbones salubriter desolatorii: qualem illum fuisse reor carbonem sublatum de altari, qui prophetæ labia purgavit (*Isai. VI, 5-7*). An vero et illi carbones hujusmodi queant intelligi, de quibus cuidam dicitur: *Ecce dati sunt tibi carbones, et sedebis super eos; hi erunt tibi in adjutorium*: vobis relinquere dijudicandum. Illud autem non dubius assero, quia ignis ille, quem Dominus Jesus misit in terram (*Luc. XII, 49*), si vehementer (sicut est voluntas mittentis) in nobis arserit, ignis ille purgatorius qui in iudicio purgabit filios Levi, non ligna, non fenum, non stipulam consumenda reperiet in nobis. Uterque quidem ignis purgatorius, sed satis differenti modo. Iste siquidem purificat unguendo, ille urendo. Hic refrigerium roris, ibi spiritus iudicii et spiritus ardoris, quo abluet Dominus sordes filiarum Sion et sanguinem Jerusalem lavabit de medio ejus.

3. Est quidem et in hoc ipso multa Domini clementia erga filias Sion: sed longe clementius et mitius purificata est illa, quam beatam prædicant filia Sion, cui scilicet dictum est: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Hac nempe supernæ virtutis obumbratio, vera fuit purificatio Mariæ; non ista, quæ quadam mystica dispensatione tantum specie tenuis hodie celebrata

est. Hæc placet fuit tota ac vera sanctificatio **954** Matris et Filii, sicut et angelus exposuit ei. *Ideo, inquit, et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei* (*Luc. I, 35*). Antea namque purificanda erat natura mortalis, ut Deum conciperet, non posteaquam concepisset: cum concepisse Sanctum sanctorum summa sanctificatio sit, et ea quæ Mater ipsius sanctitatis effecta sit, nihil sanctius esse possit. Cum ergo filia Sion quæ mollius et dissolutius vivunt, et ardorem forsitan experiuntur carnis, merito purificandæ sint spiritu iudicii et spiritu ardoris; Virgo perpetua ac singularis, quæ sola Spiritus obumbratione Deum concepit, solo purificata est spiritu gratiæ et refrigerio roris. Omnium sane purificationum, quibus conditio reparatur mortalis, hæc beatæ purificatio Virginis mitissima atque felicissima fuit: nam illa filiarum Sion quæ purgatorio fiet igne iudicii, sicut novissima, sic et severissima omnium erit. Nec ista itaque potest esse nobis nisi admirationi, nec illa nisi formidini: quippe qui nec ad istam possimus aspirare, et in illam, si sapimus, semper formidamus incidere. Omnino si sapimus, semper clamabimus, plus emendatione morum, quam strepitu verborum: *Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me* (*Psal. VI, 2*).

4. Necessarie igitur nobis et misericorditer inter utrumque genus purificationis, illud summum ad quod non attingimus, et illud ultimum quod metuimus, alia purificationum genera pietas providit divina, sicut tempus et locum poenitentia, sic plurima salutis indulgens remedia. Quæ licet multa ac varia sint, sub quatuor tamen generibus videntur omnia fere posse comprehendere; ne scilicet indigesta multitudine rerum memoriam confundamus auditoris. Hæc igitur quatuor esse arbitror quibus oportune et commode his diebus purificationis nostræ purgari possumus: scilicet contritionem cordis, afflictionem corporis, opera pietatis et fidei, patientiam tribulationis. Ad hunc siquidem modum quatuor invenies, quibus mundum generaliter purificat Christus, purificationem peccatorum faciens: aquam scilicet et sanguinem, spiritum et ignem. *Hic est, inquit Joannes, qui venit per aquam et sanguinem. Hic est qui baptizat in Spiritu sancto et igni* (*I Joan. V, 6, 8*). Aqua baptizavit, pedesque discipulorum lavit, dedicans baptismum quoque lacrymarum, quæ de contritione profluunt cordis. Sanguinem fudit; ut et nos mortificatione corporis participantem ejus passioni, lavemus stolas nostras in sanguine Agni. Spiritum dedit; ut charitas Dei ac proximi diffusa in cordibus nostris per Spiritum, multitudinem in nobis operiat peccatorum. Quæ, si minus perfecta est, ut tot et tanta non sufficiat operire, admovet ignem conflatorum, qui purgat filios Levi; et quidquid residuum est rubiginis, ignis excoquit, seu præsentis, seu futuræ tribulationis, ut tandem decantare possint: *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in re-*

frigerium (*Psal. LXV, 12*). Sic nempe et mundus iste prius baptizatus aqua diluvii, postea purgatus igne iudicii, in novum transibit statum incorruptionis.

5. Denique, ut teneris atque delicatis geramus aliquatenus morem, si lacrymas non habent, si labores horrent, si nesciunt ferre tribulationem; nunquid et illud excusabunt, quod Salomon commendat: *Per misericordiam, inquit, et fidem purgantur peccata*? (*Prov. XV, 27; XVI, 6*). Quid misericordia suavius? quid fide jucundius? Hæc oleum est membris, illa lumen oculis. Hæc ungit affectus, illa sensus illuminat, dirigitque gressus: ut ad lumen ejus ambules in tenebris, ut invisibilia contempleris, et futuram tuam beatitudinem jam animo præsumptam mediteris. Bene autem dicitur, *per misericordiam et fidem purgari peccata*: quia misericordia de proprio impendens, redimit debita; fides autem etiam gratis sine operibus indulgentiam impetrat. De misericordia nempe dicit propheta: *Iniquitates tuas redime misericordiis pauperum* (*Dan. IV, 24*); et Dominus prophetarum: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis* (*Luc. XI, 41*). De fide autem ait Apostolus: *Fide mundans corda eorum* (*Act. XV, 9*); et Dominus apostolorum: *Vade, inquit, fides tua te salvum fecit* (*Marc. X, 52*). Quamquam in hac Salomonis sententia, possit intelligi non fides qua credimus, sed qua credibiles nos exhibemus, dum fidem Deo et hominibus servamus; ut quod hic dicitur: *Per misericordiam **955** et fidem purgantur peccata* (*Prov. XV, 27*), et paulo post: *Misericordia et veritate redimitur iniquitas* (*Prov. XVI, 6*), eadem sit in diversitate verborum repetita sententia. Recte igitur misericordia et veritas seu fides sociata sunt: cum in omnibus viis nostris nisi misericordia et veritas obviant sibi, plus augeri quam purgari peccata sit verendum. Ut enim de aliis actionibus interim taceam, et de misericordiis pauperum loquar, quas abundantius nunc fieri temporis hujus postulat necessitas: quid in ipsis etiam, quibus peccata purganda sunt, peccati committitur, si misericordia fide, vel fides misericordia destituatur?

6. Audiant ergo quibus dispensatio credita est; audiant quibus credita non est: isti scilicet, ne sic velint esse fideles, ut misericordiam deserant: illi, ne sic velint esse misericordes, ut fidem lædant. Sunt enim aliqui qui plus volunt esse fideles quam oportet; et sunt aliqui qui plus volunt esse misericordes quam eis liceat. Qui ergo contra fidem indebitam usurpant misericordiam, audiant Salomonem dicentem: *Multi homines misericordes vocantur; fidelem autem virum quis inveniet?* (*Proverb. XX, 6*). Qui autem velut propter fidem negligunt debitam misericordiam, audiant plus quam Salomonem dicentem: *Quod superest date eleemosynam* (*Luc. XI, 41*); ut saltem abundantia vestra aliorum suppleat inopiam. Multum prorsus pepercit infirmæ et pusillæ nostræ fidei, qui bona communia non ex æquo fratribus partiri, sed ex eo quod superest propriæ ne-

cessitati, jussit eleemosynam eis impertiri. Ut enim taceamus de jure naturæ, quæ quidquid parens omnium terra generat, omnibus commune terrigenis adjudicat: illis saltem quibus indifferens est germanitas adoptionis, et communis sors hæreditatis, quomodo communis non erit usus panis, quem Pater administrat cœlestis? Esto tamen, sit istud jus ordinatæ charitatis, quod moderatio Evangelii suas cuique necessitates primum exceperit: quis ille est qui recte metiatur necessitates proprias; qui inter necessarium et superfluum æquo iudicio discernat? Attendamus nobis, fratres, ne de mortibus pauperum fratrum nostrorum incipiamus iudicari, si superflue retinemus aut insumimus nobis unde vita eorum valeat sustentari. Et quoniam hodierna purificatio purissimæ ac pauperrimæ Virginis de nostra nos purificatione loqui commonuit, in hoc maxime nostram constare puritatem noverimus, si quidquid superfluum est nobis amputemus: ut non solum sanctitate castitatis, sed etiam simplicitate paupertatis aliquatenus æmulemur pauperem matrem pauperis Christi, cui regnum et imperium, et nunc et per omnia sæcula sæculorum. Amen.

SERMO V (2).

De mundanda et adornanda Christo anima.

1. « Adorna thalamum tuum, Sion, et suscipe regem Christum, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum quem genuit adoravit (3). » Ad nos, fratres, ad nos loquitur Spiritus sanctus, qui sumus Sion, qui sumus speculantes, qui die ac nocte levamus oculos nostros ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Adornemus igitur thalamum nostrum, et suscipiamus regem Christum. Ecce, fratres, Christus in propria veniens, et a suis repulsus, non habet ubi caput reclinet. Præ foribus nostris inter materna brachia vagiens, per Spiritum sanctum quærit hospitium, dicens: « Adorna thalamum tuum, Sion. » Emundemus igitur thalamum nostrum, prius expellendo quæ oculos Christi intrando offendere possunt; et sic demum adornemus ea inferendo quibus delectatur et gaudet. Quæ sunt, ait forsitan aliquis vestrum, quæ oculos Christi offendere possunt? Cui dicimus: Nihil ita oculos ejus offendit, sicut superbia, 956 Nihil ita oculos ejus offendit, sicut superbia, 956

(2) De hoc sermone dubitat Horstius an sit Guerrici: tum quod desideretur in manuscripto Coloniensi, qui ipsius sermones continet; tum quod Guerrici stylus pressior et nervosior videatur.

est peccatorum primum et maximum, sic est omnium regina et mater vitiorum.

2. Videndum est igitur et sollicite considerandum, ut eam mens nostra cum tota prole sua excludat, ut thalamus noster emundatus et ornatus Christum regem qui foris [al, fores] pulsat, suscipiat. Cum tota, inquam, prole sua, septem scilicet principalibus vitiis. Quæ sunt hæc? Inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Hæ sunt filiæ superbiæ, quæ matrem suam sequuntur: Quæ hospitium quodcumque intraverint, fetidum reddunt. Sed quæ nobis cum istis communio? Quis consensus templo Dei cum idolis? Nulla nobis (Deo agimus gratias) cum eis societas, quas exuentes veterem hominem cum actibus suis, gladio veræ confessionis et pœnitentiæ enecavimus. Nihil igitur in nobis ultra possit superbia, quæ de archangelo diabolus, et de primo homine fecit impium et Creatori suo rebellem. Nihil habeat in nobis vana gloria, qui a die conversionis nostræ, in cruce Domini nostri Jesu Christi cepimus gloriari cum Apostolo dicentes: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo!* (Galat. vi, 14). Gloria itaque nostra sit crux Christi quam portamus, et testimonium conscientiæ per crucem Christi purgatæ, de qua Apostolus ait: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ* (II Cor. i, 12). In qua conscientia gloriari, de donis Dei est Deo gratias agere. Ad quod nos hortatur Apostolus, dicens: *Qui gloriatur, in Domino gloriatur* (I Cor. i, 31; Jer. ix, 24; II Cor. x, 17): id est, in Domino de puritate conscientiæ suæ gloriatur. Non enim qui se ipsum commendat, etc. Cæterum qui in se gloriatur, et qui sibi placet, stulto homini placet. Qui in alio homine gloriatur, aut laudem in mente ab ore alterius exspectat, mercedem operum recipit, ac oleo peccatoris ungit caput suum, auditque prophetam sibi dicentem: *Maledictus homo qui ponit spem suam in homine* (Jerem. xvii, 6). Et in die iudicii cum dixerint: *Domine, Domine, aperi nobis, ait: Amen dico vobis nescio vos* (Matth. xxv, 11, 12). Hæc vana gloria filia est superbiæ; quæ in quocumque fuerit, inobedientem facit.

3. Rursum, post conversionem, nihil ultra in nobis habeat invidia, per quam mors intravit in orbem terrarum. Diabolus enim invidit homini ascensum unde corruerat, et propter hoc tentavit, et in anima occidit. Hæc est illa, quæ non magnos, sed parvos semper torquet (Sap. ii, 24, 25), dicente sancto Job: *Parvulum occidit invidia* (Job. v, 2). In eo enim quod aliquis alicui invidet) minorem se ostendit ei cui invidet. Sic diabolus invidit primo homini, sic Esau Jacob, et Cain Abel. Hæc invidia parvulum occidit; quia nisi inferior esset, de bono

Porro licet hactenus Bernardi operibus insertus sit, minus tanto dignus est auctore.

(3) Ita canit Ecclesia in officio hujus diei.

alterius non doleret. Hæc peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Unde si qua desiderat, illi invidet qui penitus ea accepit, vel illi partem habendo quantitatem ei restringit. Hunc parvulum occidit invidia, quia dum non potest adipisci quod alii invidet, in odium, invidiæ filiam, cadit.

4. Rursum, fratres, post conversionem nostram ira non habeat in nobis locum, quia, ut ait Dominus in Evangelio, gradatim ducit ad gehennæ puteum, dicens: *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit, Racha, hoc est, vocem indignationis per iram emisit, reus erit concilio, in quo tractatur qua pœna sit mulcandus. Qui dixerit, Fatue, hoc est, tale quid fecerit aut verbo aut verberere, ut inter fratres despiciatur, reus erit gehennæ ignis* (Matth. v, 22), nisi resipuerit. Hæc est ira, quæ stultorum oculos exstinguit, sapientium oculos nonnunquam turbat, dicente Psalmista: *Turbatus est præ ira oculus meus* (Psal. vi, 8). Et de ira stulti Job ait: *Virum stultum interfecit iracundia* (Job. v, 2). Ecce duas iras videmus; quarum altera nonnunquam 957 turbat oculum, altera semper exstinguit. Altera venit ex impatientia; altera, ex zelo rectitudinis. Altera venit ex vitio; altera, ex virtute. De altera quæ venit ex virtute Psalmista ait: *Irascimini, et nolite peccare* (Psal. iv, 5; Ephes. iv, 26). Quasi dicat: Crudeles estote in vitium, mites in fratrem, considerantes vosmetipsos, ne et vos tentemini. De altera, quæ venit ex vitio, ait Apostolus: *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. iv, 26): id est, Christus, qui est sol justitiæ, mentem vestram irascentem non deserat, qui cum ira nunquam habitat. Ira, quæ venit ex zelo rectitudinis, debemus irasci prius nostris erratibus; et post, erratibus proximorum: quæ melior est risu, quia per tristitiam vultus corrigitur proximus (Eccl. vii, 4). Quæ debet tamen subesse rationi, ne sit immoderata, sed in ultione peccati tempus et modum consideret. Hæc sapientes interdum turbat: ira per vitium stultos occidit, dum in rixas et in contumeliam linguam relaxat.

5. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniendus est thalamus cordis nostri, ne tristitia rediens introeat; illam dico quæ mortem operatur, quæ de amissione rerum temporalium venit. Hæc est illa quæ pravos cogitationes generat, murmurum monachum reddit, quæ fastidium parit, et tenentem aratrum Dei cum uxore Loth retro respicere compellit. Sine dolore namque non potest amittere, quod cum inordinato amore possedit. Hanc itaque tristitiam quæ mortem operatur excludamus: et intromittamus eam quæ venit de memoria peccatorum, et de peregrinatione nostra, dicamusque cum Psalmista: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea* (Psal. cxix, 5, 6). Hæc est tristitia, quæ vitam operatur, de qua ait Apostolus: *Quasi tristes, semper autem gauden-*

tes (II Cor. vi, 10). Hæc est illa de qua Dominus ad discipulos dicit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium* (Joan. xvi, 20). Altera parit mortem, parit animi rancorem.

6. Rursum, fratres, post conversionem muniamus thalamum nostrum, ne avaritia, quæ est radix omnium malorum, rediens introeat, nosque ab unius Dei cultura abstrahat, idolorum cultores faciat. De qua inter cætera sic ait Apostolus ad discipulos suos: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, et avaritiam, quæ est idolorum servitus* (Coloss. iii, 5). Ecce avaritiam idololatriæ comparat, et merito: quia sicut uni Deo idololatra nitiur auferre gloriam, ne solus habeat nomen Deitatis; ita avarus in Dei res se extendit, ut solus usurpet quæ Deus omnipotens in usum plurimorum fecit. Utraque Deo inimica, quia negat Deo quæ sunt ejus. Est et avaritia non solum amor congregandæ pecuniæ aut conservandæ, sed ambitio prælationis, cum nitiur homo homini præesse. Hæc, ut verum dicam, etiam pauperes (qui semel pro Christo reliquerunt sua) in tantum vexat, ut contra jus et fas, et propositum suum, non tantum velint, sed etiam studeant fratribus et conservis præesse. Quod si abbas aut prior eorum voto non consenserit, irascuntur, obloquuntur, eosque aut invidios, aut sibi malevolos (qui se non provehunt) clamant. Hæc est avaritia quæ memoriam mandatorum Dei turbat, dicente Psalmista Domino: *Inclina cor meum in testimonia tua, et non in avaritiam* (Psal. cxviii, 36): quæ proditiōnis est mater, quæ Judam Dei discipulum primum ad mandatorum Dei oblivionem, de oblivione ad proditiōnem, de proditiōne traxit ad laqueum.

7. Rursum, fratres, post conversionem nostram muniamus thalamum cordis, ne gula rediens introeat, quæ et Adam innocentiae veste, et Esau privavit primogeniti dignitate. Hæc est illa pestis quæ patres nostros in deserto ingratos beneficiis Dei fecit, quæ compulit eos murmurare contra Deum, et dicere: *Utinam mortui essemus in Egypto, quando sedebamus super ollas carniū, et comedebamus allia, cepe, et pepones* (Exod. xvi, 3; Num. xi, 5, 6; xiv, 3). Hæc est illa funesta pestis quæ eos ad blasphemiam duxit, quasi non esset alia vita post istam, cum dicebant: *Comedamus et bibamus; cras enim moriemur* (Isa. xxii, 13; II Cor. xv, 32), id est, in futuro Quasi dicerent: Hoc solum habemus quod comedimus; nihil in futuro post hanc vitam nos habituros speramus. Hanc pestem 958 cum homine perituram pronuntiat Apostolus, dicens: *Esca ventri, et venter escis. Deus autem et hunc et hanc destruet* (I Cor. vi, 13). Hæc pestis tripartita est: quia aut ante horam canonicam, aut aliud quam licet, aut plus quam necesse est facit comedere, et carnis curam in concupiscentiis nitiur facere. De qua nascitur inopia lætitia: sicut de populo Israel dicitur: *Sedit populus manducare et bibere*